Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

damus · ipsumque dominum iugiter exoramus · ut et nos et uos inti
more gregem suo pascere dignetur auxilio · auferat a nobis domina
tionem praue cupiditatis · donet omnibus profectum et perseue
rantiam caritatis; lumbos nostros ipse precingat · lucernas
nostras ipse ardere faciat · ardentesque custodiat · ut nec re
nobis frigescat nostra caritas · nec aliqua dominetur iniquitas · sed dominus
ac redemptor noster omnibus gratiam tribuat · uniuersis donum sancte
illuminationis ac uirtutis infundat · nobis donet · ut quod
ab illo audimus recte intellegamus · sic ut oportet faciamus ·
uobisque faciendum sermone sufficienti et congruo predicemus ·
Vobis quoque donet · ut quod ab illo per seruos eius auditis · corde
intellegatis · et opere faciatis · Hec quoque diuina misericordia operetur
in omnibus nobis · ut nos quos uoluit esse dispensatores · fideles
faciat et prudentes · uos quoque obedientes faciat et humi
les · ut tritici mensuram dominici quam uobis damus communem
utilem uobiscum salubrem atque utilem habeamus ·
In · i · t · Dixit · d · i · discipulis · s · *Secundum Math.*
*H*omo quidam peregre proficiscens · uocauit seruos suos
et tradidit illis bona sua · Et uni dedit quinque ta
lenta · alii autem duo · alii uero unum · Et reliqua · *Sermo*
ex commentario sancti Jeronimi presbiteri
*H*omo iste pater familias haut dubium quin Christus
sit · qui ad patrem post resurrectionem uictor ascendens ·
uocatis apostolis doctrinam euangelicam tradidit non pro largita
te et parcitate alteri plus · et alteri minus tribuens · sed pro